

SCHEDIASMA JURIDICUM  
DE  
DAMNIS  
PER  
AQUAM  
DATIS

Quod

*DEO T. O. M. bene iuvante*

P R Æ S I D E

DN. JOHANNES GEORGIO  
SCHERTZIO,

J. U. D. eiusdemque P. P. Ord.  
& Canon. Thom.

*In Almâ Argentinensium Uiuersitate*

*a. d. Octobris M DCC XVI.*

SOLENNI Eruditorum Examine  
subjicit

GABRIEL STOCK,

Saravi - Gemündanus.

Diss. jur. civ.

135,40

NTORATI, Literis DANIELIS MAAGII.

DEO

PARENTIBUS, PATRONIS

ET AMICIS.



Q. D. B. V.

S. I.

**N**ter ea, quæ Omnipotens benignissimi Numinis manus usibus Generis Humani promovendis creavit, Princeps facile est AQUA. nulla enim est Creaturarum, quæ non huic Elemento vel originem debeat vel incrementa. Hinc GERHARDUS JOANNES VOSSIUS in eruditissimo DE THEOLOGIA GENTILI Opere Lib. II. cap. LXVII. jure meritoque ita loquitur: *Quod si ullo in elemento, in hoc Aqua profectò, magnopere divina se exseruit providentia. Nam sine illâ foret, nulla fieret simplicium concretio. Quippe & Aqua frigore temperari opus calorem Ignis: & ejus humore necesse est molliri duritiem Terra. Ac propterea sunt & aqua in venis, ac meatibus subterraneis: quæ sese quovis, quandoque etiam in altum, diffundunt; cujus rei causam antea adduximus. Sunt item aqua cælestes; quibus depluentibus, terra irrigatur. Absque iis esset, inidonea foret tellus ad cibos animantibus producendos. Nec terram solum, sed hæc*

A 2 etiam

etiam terrestria animantium corpora, potu irrigari fuit  
 necesse: unde & Græci Neptuno nomen dedere, ut infe-  
 riùs exponam. Plurimum item aqua conferunt  
 ad purgationem, & mundicias: unde huic Lati-  
 ni dederunt nomen, ut itidem postea referam. Jam  
 quid dicam de aquarum usu ad navigandum quaquã-  
 vorsus, ac brevi sæpe spatio perveniendi ad terras lon-  
 gissimè distitas? Ut jure optimo principem Olympiorum  
 odam Dirceus ille vates hoc pacto ordiatur, Ἀριστὸν μὲν ὕδωρ  
 Optima quidem aqua. Sed Plinium quoque audiamus  
 facundo sic ore præstantiam aquæ prædicantem lib. XXXI,  
 cap. I: Hoc elementum cæteris omnibus imperat: ter-  
 ras devorant aquæ, flammæ necant, scandunt in subli-  
 me, & cælum quoque sibi vindicant, ac nubium obten-  
 tu vitalem spiritum strangulant. Quæ causa fulmina  
 elidit, ipso secum discordante mundo? Quid esse mira-  
 bilius potest aquis in cælo stantibus? At illæ, ceu pa-  
 rum sit in tantam pervenire altitudinem, rapiunt eò se-  
 cum piscium examina. Sæpe etiam lapides subvehunt,  
 portantes aliena pondera. Eadem cadentes omnium  
 terrâ nascentium causa fiunt, prorsus mirabili naturâ,  
 si quis velit reputare, ut fruges gignantur, arbores fru-  
 ticesque vivant, in cælum migrare aquas animamque  
 etiam herbis inde vitalem deferre; justâ confessione,  
 omnes terræ quoque vires aquarum esse beneficii. Et  
 hoc ipsum in causâ est cur multi Gentilium Aquam  
 tanquam Numen coluerint. vid. SÆP. XIII, 2. adda-  
 tur VOSSIIUS In allegato opere Lib. II. cap. LXXIV. &  
 ARNOLDUS ad DIRAS VALERII CATONIS; unde appa-  
 ret speciatim Ægyptios, Persas, Germanos etiam,  
 AQUÆ, tanquam Numinis, cultum inter sacra sua  
 ha-

habuisse. Et quid aliud indigitant Græcorum Romanorumque tot sacris, tot carminibus celebrata nomina *Neptunus, Oceani, Amphitrites, Tethyos, Thetidis, Nympharum, Nereidum, Hydriadum, Ephyriadum, Tritonis.* vid. JOANNIS CHIFLETII AQUA VIRGO in GRÆVII The-saur. Antiquit. Rom. T. IV. Quod si mores Legesque Romanorum intuemur, singulari quadam ratione hi agnovisse videntur, quantum utilitatis AQUÆ ad-scribendum sit. Cum enim antiquioribus tempo-ribus nefas esse crederent Civi Romano spiritum eripi, vitamque adimi. (vid. SALLUST. CONIURATA CATIL.) & tamen Reipublicæ salus exigeret, ut ma-lis hominibus Civitas liberaretur, aqua & igni his hominibus interdici solebat, *ut ita interdicto ea-rum rerum usu, quibus vita humana constat, perin-de haberetur, ac si esset, qui eam sententiam exceperat, morte mulctatus*, uti loquitur LACTANTIUS lib. 2. In-stit. Div. c. 10. vid. BRISSENIUS in *Selectis ex Jure Civ. Antiquit. lib. III. c. 5.* ubi ex professo de vetusta aquæ & ignis interdictione disserit, junge huic DIONYS. GO-THOFREDUM in *Notis ad L. 1. §. 2. de Leg. 3. lit. m.* qui etiam observat, Romanos, ut usum aquæ inculcarent novis nuptis, illas aqua & igni acceptas fuisse, uti loquitur SCAEVOLA in *l. pen. §. 1. π. de donat. inter Vir. & Ux. Conf. ANTON. HOTMAN. de Vet. Rit. nupt. c. 18. & BRIS-SON. de Ritu nupt. p. m. 8.* ubi in Sex. Pomponii lib. 1. hæc verba de hac re legi tradit: *Aqua & igni in-terdici solet damnatis, que accipiunt nova nuptia, vi-delicet quia hæc due res maxime vitam continent.* Vi-demus hinc apud Romanos non tantum plurimos fuisse, quorum tum ingenium tum manus circa A-

*quas* erant occupata, sed & Magistratus diverso<sup>s</sup>  
 extitisse qui vel junctim cum aliis magni momenti  
 muneribus *aquam* curabant, vel ex professo directi-  
 oni rei *aquaria* admovebantur. Pertinent huc ex Ma-  
 gistratibus *Censores*, *Ædiles Curules*. ROSIN. *Antiquit.*  
*Rom. Lib. I. c. XIV.* *Praefectus Pratorio. l. 8. C. Th. de*  
*Aquæduct. Praefectus Urbi. l. 3. 4. 5. 6. 7. C. Th. de Aquæ-*  
*duct. peculiaris Aquarum Consularis*, qui suos *offi-*  
*ciales*, seu, ut *l. 1. C. Th. de Aquæduct.* dicit: suum  
*officium* habebat. conf. JAC. GOTHOFRED. *ad d. l. 1.* qui-  
 bus junge nomina quæ in GRUTERIANARUM INSCRIPTIO-  
 NUM CORPORE OCCURRUNT, *Curator Aquarum*, *Curator*  
*Aquarum & Minicie*, *Curator Alvei Tiberis & Riparum*,  
*Curator Alvei & Riparum Tiberis & Cloacarum Urbis*,  
*Curator Aquæ deducenda*. Ex iis vero qui manuariâ  
 operâ circa aquas versabantur occurrunt *Aquileges*,  
 (qui etiam in *l. 6. π. de Jure Immunit. Aquilices*,  
 & apud GRUTERUM in *Corp. Inscript. p. 94. n. 3.* AQUILEGI  
*dicuntur*) *Aquarum Libratores*, vid. *l. 2. C. Th. de Ex-*  
*cusat. artific. Servi Castellorum, Silicarii, Tectores, A-*  
*punctis*. vid. PIGNOR. *DE SERVIS p. 66.* *Aquarius Augusti*  
 apud GRUTER. *XCIII, n. 6.* Eadem etiam ex ratione tot  
 Legibus de *Aquâ* sanciebatur. Huc refer ex *LL. XII.*  
*Tabb.* quæ de *aquâ pluviam* occurrunt in *Tab. VIII.* (vid.  
*l. 21. π. de Statu lib.*) Ex *Cod. Theodosiano* Titulum  
*de Aquæductu. it. de Nilî aggeribus non corrumpendis*  
 (qui Titulus etiam in *C. Justinianeum* transiit) ex  
*Pandectis: Tit. de Aquâ & Aquæ pluvie arcenda.* Ne  
*quid in flumine publico fiat quo aliter aqua fluat at-*  
*que uti priore æstate fluxit.* De *Flaminibus*, ne quia  
*in flumine publico ripave ejus, quo pejus navigetur: de*  
*Aquâ*

*Aquâ quotidianâ & estivâ. de Rivis. de Fonte. in Codice Justiniano Tit. de Servitutibus & Aquâ, de Aqueductu. quibus Legibus egregiam lucem affundere possunt ea, quæ habent FRONTINUS DE AQUEDUCTIBUS URBS ROMÆ & ex recentioribus RAPHAEL FABRETTI DE AQUIS ET AQUÆDUCTIBUS Veteris Roma in THESAUR. ANTIQUIT. ROMAN. GRÆVIANO Tomo IV.*

§. II.

Uti autem circa alias Res summe utiles videmus, eas nunc summo prodesse opere, nunc plurimum nocere, ita etiam *Aquis* cum juvandi potestate vim nocendi singularem inesse deprehendimus. quorum nocementorum documenta in eorum scriptis abunde extant, qui vel Diluvii Universalis vel inundationum Cataclysmorumque particularium Historiam composuere; quo jure retuleris præter *Scriptores sacros* illorum operam, qui Diluvium Deucalionicum, item Ogygium ex Antiquis descripsere; quibus non male junges GEORGII DAUSQUI *Terram & Aquam* DIDACUM GOMEZIUM *de Prodigiis Tiberis inundationibus ab O. C. ad 1531.* MARSILII COGNATI *Diss. de Inundatione Tiberis,* PULEI *Diss. de Cataclysmo Thuringiaco,* MART. SCHOOCKIUM *de Inundationibus maxime Belgicis,* GERH. FELTMANN *de Accessionibus memorabilibus immani Aquarum vi vel terramotu factis.* Ut alios nunc omittamus. Contingunt autem *damna per Aquas* vel sine Hominum ope ipso naturæ facta, vel ope Hominum. De utrisque quid Leges nostræ statuunt, moti *Damnorum,* quæ hoc potissimum Anno per *Aquas* contingere & multitudine & magnitudine intra modulum Schediasmatis Academici nunc agemus.

§. III.

§. III.

Inter modos, autem quibus, *Aqua damna* dare solent, occurrit nobis primo loco Alluvio, quæ dicitur esse incrementum latens in §. 20. *J. de R. D.* (proprie causa incrementi uti notat HUBER, in *Prælect. J. Civ. ad Inst. de R. D.* §. 33.) scil. factum adjectione aquarum. Hæc licet ita contingat ut intelligi non possit, quantum quoquo temporis momento adjiciatur, damno tamen est priori Possessori; Leges enim nostræ accessionis jure domino agri, cui ita aliquid adjicitur, ablatum addicunt vid. §. 20. *J. de R. D. l. 7. pr. π. de A. R. D. l. 16. eod. & l. 1. C. de Alluvion.* Obvenit autem hoc commodum alluvionis agris tantum illimitatis, uti docet *l. 16. π. de A. R. D.* quia illi nullum certum habent terminum, arg. *l. 12. pr. de A. R. D. & l. 74. fin. π. de Aqua & Aqua pluv.* ex quibus legibus etiam patet in stagnis & lacubus alluvionis jus non valere quod tamen non accipiendum videtur de lacubus, in quibus vera constans & durabilis est alluvio, ceu in Frisia interdum contingere refert HUBERUS in *Prælect. J. Civ. ad Inst. p. m. 95.* In mari quoque obtinere alluvionem, item si quid ab aquâ pluviâ adjectum nostro agro fuerit docet LEISER in *Jur. Georg. I. 42, 10. J. SEB. GAMBS Diss. de Alluvionib. §. 12.* In tantum autem censetur ita adjectum fundi, cui adjicitur, pars fieri, ut, si quis usufructum agri Principalis habet, etiam hujus accessorii habere censeatur per *l. 9. §. 4. π. de Usufr. LAUTERBACH. Comp. Jur. de A. R. D. p. 364.* quemadmodum etiam jus pignoris juxta *l. 18. §. 1. π. de Pignorat. Act. & l. 20. π. de Pign. & Hyp.* Hereditas per *l. 16. §. 3. π. Famil.*



*Famil. Erisc.* Dos per *L. 4. π. de Jur dot.* Fideicommissum per *l. 16. π. de Leg. 3.* item Feudum, ut & Jurisdictio. vid. LEISER *J. Georg. lib. I. c. 42.* MÖLINÆUS *ad Consuetud. Paris. §. I. Gl. 5. num. 114.* nec non servitus e. g. Jus Pascendi. CARPZOV. *P. III. c. 13. d. 17.* PHILIPPIUS. *Inst. Pract. lib. 2. Ecl. 27.* aucta esse censentur. Ratio autem, cur id, quod sensim agro Tuo fuit detractum, Tibi pereat, est, quia Tu ostendere non potes id, quod meo agro adjectum est, non aliunde, quam ex Tuo agro esse; nescitur enim, unde istæ sensim adjectæ particulæ veniant, & ita dominio quasi per censitores mutato vindicari nequeunt. vid. SCHILT. *Inst J. Civ. II, 1, 27.* addit AGGENUS URBICUS *de Limitibus Agrorum* aliam adhuc rationem, ut nempe coërceatur negligentia eorum, qui ripas non muniunt. Junge quæ habet STRUV. *Synt. J. Civ. Ex. 41. §. 24.* quid, abstrahendo à Jure Civili, secundum Jus Naturæ obtineat, de eo vid. GROTIUM *de Jure B. & P. II, 8, 11. seqq.* & *Interpretes* ad eum, ex quibus, qui ei objiciunt, quod judicari non possit, quæ sit pars Populi, quia Incrementum latens sit in Alluvione, non bene ratiocinari videntur. Quicquid sit de Jure Naturæ, sive illud ita ablatum Populo, aut eum repræsentanti summo Imperanti addicat, sive non, Fisco id clarissime abjudicat Jus Civile. vid. *l. 2. & 3. C. de Alluv.* unde etiam liquet pro quantitate adjecti ad mœna Patrimonialia novos Dominos Fisco teneri. quod invitâ veritate negat STRUV. *Synt. J. Civ. Ex. XLI. §. 25.* & GREG. THOLOSAN. *l. 20. Synt. c. 8. n. 5.* Quod mœres hodiernos attinet GROENEVEGEN, VOETIUS ALIIQUE *ad §. 20. Inst. de R. D.* eatenus arbitrantur eos recessisse à Juris Rom. Sanctionibus, quod Alluvio-

B nem

nem Principi addicant; dubito tamen ad id universaliter verum sit. Contrarium docet SCHNEIDEVVIN. *ad Inst.* SCHULTZ. *ad easd.* MEURER. im Jagd und Forstrecht. P. 5. pag. 108, 102. CARPZOV. III. c. 12. d. 17. STRUV. *Ex. all.* §. 26. & in primis HUBER. *in Praelect.* J. Civ. ad π. *ad tit. de A. R. D.* §. 10. quod extendunt Dd. ut Jus Alluvionis etiam in agris limitatis hodie otinere statuunt. vid. FRITSCH. *de Jure Alluv.* lib. 1. c. 17. LEISER. *J. Georg.* I. 42, 28. STRUV. *Ex. all.* §. 26. In Galliâ etiam Alluvione adjectum privatis cedit. vid. FERRIERE *AUX Instit. du Droit François p. m.* 128.

§. IV.

Uti autem clandestinâ quadam ratione multamur per Alluvionem, ita apertâ vi dominio privamur Avulsione Terræ nostræ, modo eam, antequam vindicetur, sequatur Coalitio; uti hoc docet §. 21. *I. de R. D. l. adeo 7.* §. 2. π. *de A. R. D.* Videri quidem posset ex verbis §. 21. *Inst. de R. D.* non sequi, quod ipsa terra acquiratur ei, cui agro adhæret, sed tantum arbores, quæ in eum fundum radices egerunt; postquam enim *Arborum* mentio esset injecta, postea subjungitur: *ex eo tempore videntur vicini fundo acquisita esse.* Verum quod hæc verba ita intelligenda sint, ut arbores, & terræ pars avulsa simul acquisite esse videantur, patet ex oppositione, quæ hic inter posteriorem & priorem paragraphi partem instituitur, postquam enim dictum esset: *Quod si vis fluminis de tuo pradio partem aliquam detraxerit, & vicini pradio attulerit, palam est, eam tuam permanere.* Subjungitur: *Plane i. e. é contrario autem &c.* Nulla autem adesset oppositio, nisi etiam sequentia verba de eodem subjecto loquerentur de quo priora loqueban-

ban-

bantur. Et hoc verum esse clarius apparet ex l. 7. §. 2. π. de A. R. D. ex qua §. 21. est desumpta. Ibi enim in Codice FLORENTINO legitur in numero singulari: *videtur meo fundo acquisita*, conf. omnino THEOPHILI *Pharaphrasis Græca Inst. ad h. l.* Quando autem in Legibus nostris occasione coalitionis, tanquam signum ejusdem, ponitur Radicatio Arborum, id non videtur esse intelligendum ita, quasi ex solâ Radicatione illâ de Coalitione judicari possit, sed quod illa frequentius & crebrius ejus sit indicium; unde recte HUBERUS in *Prælect. J. Civ. ad Inst. ad Tit. de R. D. §. 34.* *Coalitio facta dicitur, cum nova pars unitatem cum terrâ nostrâ fecit, ut ab eâ distingui nequeat l. 9. §. 2. π. de damn. inf. cujus rei argumentum habemus si arbores una avulse in meum fundum radices egerint d. §. 2. quæ tamen nota minime semper exigi potest, cum nec agri omnes ferant arbores, neque hæ in extremitate partis adjectæ, ut radices ad alteram pertingant, semper posite reperiantur.* Et hinc est, quod THEOPHILUS ea quæ de Radicatione dicuntur, restringat, ad eum casum, *εἰ τὸ ἐκ τῆς οὐκ ἀγρῆ ἀναρῶν δένδρον ἦν, si pars Terra d Tuo agro avulse arbores ferat.*

Diximus dominium terræ avulsæ amitti post Coalitionem. Ast huic asserto graviter repugnare videtur §. 3. l. 5. π. de R. V. ubi ULPIANUS dicit: *De arbore quæ in alienum agrum translata coalescit & radices immisit, Varus & Nerva utilem in rem actionem dabant; nam si nondum coaluit, mea esse non desinet.* Hic mire laborant Dd. ut nodum huncce solvant. Quidam, ut ALTESERRA *Comm. ad Inst. de R. D.* putant ab Ulpiano hic referri Vari & Nervæ sententiam, quasi explosam; alii cum ACCURSIO ET CUIACIO distinguunt in-

ter arborem, quæ factò Hominis translata est, & coaluit in alterius fundo, & inter eam, quam sola fluminis vis transtulit, ut scilicet ratione illius utilis Rei Vindicatio detur, nulla autem detur ratione hujus posterioris. Mihi videntur textibus & Analogiæ Juris convenientius loqui qui tradunt *legem §. 3. de R. V.* intelligendam esse de Utili Rei Vindicatione, non tali, qua Arboris separatio intenditur & arbor ipsa vindicatur, sed de eâ, quâ pretium petitur: ubique enim in hac materia is, cui dominium decedit, actionem pro indemnitate pretioque retinet. vid. HUBER. l. c. §. 34. LYNCKER. in *Anal. ad Locameri Inst. de R. D.* STRUIV. *Synt. Jur. Civ. Ex. XLI. tit. 1. §. 27.* Avulsione autem facta non tantum contingit, ut pars Terræ avulsa juxta fundum alterius collocetur, de quo casu loquitur §. 21. *J. de R. D.* sed interdum etiam evenit, ut frustum seu crusta Terræ alterius agro vel *Aquis* vel chasmate, superponatur. Quod posterius non esse sine exemplo ex ANNALIBUS FULDENSIBUS, SAXONE GRAMMATICO, PONTIANO, EMMIO, HAMELMANNO, GRYPHIANDRO ostendit FELTMANN *de Accessionibus Memorabil. p. 17. seqq.* Licet unicum tantum eorum ex illo huc mutuo transferre. Ita autem ille loquitur: *In scriniis Oldenburgicis invenimus, Comitem Antonium Güntherum inter causas, cur à Cesare & Imperii Ordinibus peteret sibi concedi jus exercendi & exigendi Vectigal à Navigantibus in Visurgi octavo loco exposuisse: Anno MDLXX. omnibus Divis sacro, cum rerum potiebatur ipsius avus, magnum & antea non auditum Aquæ motum extitisse, qui in ditione Oldenburgica & Feuerensi multa hominum millia absorpserit, ut fere omne pecus perierit; adeo ut*

*insani falsique fluctus non modo aggeres ferierint, percusserint, & ruperint, sed etiam superaverint multisque in locis quid miri saviendo fecerint, idque inprimis accidisse haud procul ab oppido Oldenburgo, ubi satis ingens sylva ducentis fere quercubus florens cum hominibus pecore & humo sublata dimidiata horæ itinere in aliud solum traducta, in quo etiamnum reperitur. Quibus narrationibus eo majorem possumus habere fidem, quo propius simile quid ante aliquot annos in viciniâ nostra videre licuit, cum nempe in territorio pagi Scharrachbergensis, qui Generosissimæ Dettlingiorum Familæ paret, ager vinifer una cum implantatis vitibus descenderet, & agrum inferius situm obtegeret. Quod si nunc quæras, quid Juris hoc in casu esse statuendum sit, ad varia sententiarum divortia invitari videmur. Nam primo videri posset cum ager alteri agro impositus arcte inferiori cohæreat, statim coalitionis jure superiorem inferiori cedere. Præterea notissimi juris est, quod quicquid rei alicui accedit, id ei cedat, sine quo esse non potest juxta *l. 23. §. 3. π. de R. V.* unde superficies cedit solo *l. 50. π. ad l. Aquil. l. 2. π. de superfic.* non secus ac omnia quæ illi annumerantur §. 29. *J. de R. D.* nunc autem imaginem superficiæ refert prædium adventitium, solique instar censetur id, cui accessit, ceu loquitur FELTMANN *in lib. alleg. p. 21.* E contrario autem communionis jure agros hosce duos ad utrumque pertinere debere suadet id, quod hic facta esse videatur materialium quædam quasi confusio; jam vero si fortuitu & non voluntate dominorum vel ejusdem generis vel diversæ materiæ confusæ sunt, totum id corpus, quod ex con-*

fusione fit, est commune juxta §. 27. *f. de R. D.* Si au-  
 tem malis dicere hic instar commixtionis esse, cum  
 Confusio liquidorum sit, Comixtio aridorum, tum se-  
 cundum Juris Rom. placita statuendum quidem erit  
 non oriri comunionem, is tamen qui terram omnem  
 retinet, alteri tenebitur ad solvendam æstimatione agri  
 alterius. vid. §. 28. *f. de R. D.* Pro comunione vero por-  
 ro facere videtur, quod natura avulsione & superim-  
 positione hac utrumque punire voluisse judicanda sit;  
 æquum itaque esse, ut uterque partem pœnæ ferat, &  
 dimidium juris sui amittat; id enim nî fieret, Totum  
 illud, quod ex duobus agris nunc est compositum, uni  
 esset addicendum, qui tum lucrum ex incremento agri  
 alterius solus ferret, cum ad alterum omne damnum  
 redundaret; at vero Jure Naturæ æquum est nemi-  
 rum cum alterius detrimento & injuriâ fieri locu-  
 plentorem *l. 206. π. de R. I. l. 14. π. de Condiēt. indeb.*  
 Et in obscuro favere non debemus adventitio lucro  
*l. 41. π. de R. I.* An dicendum cum ager subjectus habeat  
 rationem soli, ager autem superjacens figuram su-  
 perficiei, prioris dominum in Toto hoc, quod ex  
 superinjectione ortum est, habere dominium soli,  
 posterioris vero domino jus superficiarium compete-  
 re, adeoque hunc & commoda & onera Superficiarii  
 habere debere? Non inepte forsitan quis etiam ex FELT-  
 MANNŌ dixerit, damnum omne esse debere ejus, cujus  
 ager ita obtegitur; non enim apprere differentie  
 rationem, quare ager, quem flumen undis suis texit,  
 ei cedat, cujus est flumen, adeoque publicus fiat,  
 non autem mihi acquisitus censeatur qui terrâ meâ  
 tectus est. Accedit hoc, quod ager inferior extin-  
 ctus

ctus

Etus quasi sit; & rationi repugnet, ut id, quod vilius  
 est, ad se trahat rem pretiosorem ex. gr. ager oppres-  
 sus adeoque fructibus orbis agrum meum arbori-  
 bus superbientem, segetibus lætum, vitibus luxuri-  
 antem. Cui adde, quod ager superinjectus non pos-  
 sit haberi pro superficie, cum ipse sit corpus longi-  
 tudine, latitudine & profunditate constans, quod-  
 que per se subsistere potest. conf. LEISER *Jur. Georg.*  
*l. 42, 35. seqq.* Hæc sunt quæ Leges hac de re latu-  
 rum morari possunt. Nostrum autem cum sit secun-  
 dum Leges judicare, arbitramur dicendum esse, quod  
 Ager superjectus maneat prioris domini tamdiu,  
 quamdiu nondum coaluit; unde etiam terram omnem  
 cum implantatis tollere ipse potest. Nisi autem id  
 faciat, antequam coaluerit ager ipsius cum agro sub-  
 jecto, ager ipsius cedit domino agri subjecti. Tra-  
 dit hoc ULPIANUS in l. 9. §. 2. π. de damno infecto,  
 ubi ita loquitur: *Alfenus quoque scribit, si ex fundo*  
*zuo crusta lapsa sit in meum fundum, eamque petas dan-*  
*dum in te iudicium de damno jam factò; idque Labeo*  
*probat; nam arbitrio Judicis apud quem res prolapsa*  
*petentur, damnam, quod ante sensi, non contineri, nec*  
*aliter dandam actionem, quam ut omnia tollantur, quæ*  
*sunt prolapsa; ita demum autem crustam vindicari pos-*  
*se idem Alfenus ait, si non coaluerit, nec unitatem cum*  
*terrâ meâ fecerit. Nec arbor potest vindicari à te, quæ*  
*translata in agrum meum cum terra meâ coaluit, sed*  
*nec ego potero tecum agere jus mihi non esse crustam ha-*  
*bere, si jam cum terrâ meâ coaluit quia mea facta est.*  
 Objici hic forte posset hunc textum loqui de crustâ ter-  
 ræ; Crustæ autem nomine non venire partem agri no-  
 tabi-

tabili quadam profunditate constantem sed portionem eminentiorem tantum, quæ tenui veste reliquum solum tegit. Verum an vox *crusta* hoc significet jure dubitare possumus, cum portio etiam terræ maxime densa in comparatione ad terram subjectam crustæ rationem habeat; Et hoc ipsum indigitare videtur Imp. LEO PHILOSOPHUS, qui id quod lex nostra (quam ignorasse LEO videtur DIONYSIO GOTHOFREDO) crustam appellat, τόπον ὑπέργειον locum superiorem terræ nominat simulque in Nov. 9. §. decidit, quod circa materiam superjectam, sive profunditate singulari constet, sive non, idem obtinere debeat, quod per l. 9. §. 2. π. de Damno infect. observandum hac in re esse notavimus conf. HUBER. Praelect. J. Civ. ad Inst. de R. D. §. 34.

§. V.

Porro *Aqua* damnum dant Inundatione, dum nempe alveum quidem servant, sed ita implent, ut vicina alveo terra aquis subjugetur. De hac autem notandum, quod per eam proprietas non amittatur. conf. l. 7. §. 6. de A. R. D. cum §. 24. π. de Rer. Div. Adversari quidem huic asserto nostro videtur POMPONIUS in l. 23. π. quib. mod. usufruct. amittitur, ubi hæc habentur: Si ager, cujus usufructus noster sit, flumine vel mari inundatus fuerit, amittitur usufructus, cum etiam ipsa proprietas eo casu amittatur: ac ne piscando quidem retinere poterimus usufructum. Verum revera nobis hæc Lex non adversatur. Loquitur enim illa non de inundatione simplice, sed de tali, qua locus inundatus stagnum factus est aut palus, aut quæ cum alvei mutatione est conjuncta. vid. l. 10. §. 2. & l. 24. pr. π. quib. mod. usufr. amitt. Inundationis

nis



nis enim vox in Jure nostro non eâdem semper ratione accipitur. vid. STRUV. *Synt. J. Civ Ex. XLI* §. 35. Licet autem Proprietas inundatione non amittatur, usumfructum tamen per eam amitti ex modo dictis apparet; de possessione idem erit dicendum, ceu ex *l. 3. §. 17. π. de A. vel A. P.* liquet; cui non obstat *l. 30. §. 3. eod.* ubi in vulgari Editione legitur: *Item quod mari aut flumine occupatum sit, possidere non desinimus*: ex Codice enim Florentino, cum quo hac in re Editio Haloandrina concordat, manifestum est pro voce: *non* legendum esse: *nos*, quam lectionem sequens inprimis Paragraphus etiam firmat. Cum itaque per inundationem proprie dictam possessio amittatur, in propatulo est, quod per eandem etiam præscriptio rumpatur. conf. *l. 15. & 47. π. de A. vel A. P. l. 67. pr. π. de furt. l. 1. §. 28. 32. 45. π. de Vi & Vi armat. adde l. 6. §. 1. l. π. de A. vel A. P.* Cæterum si per inundationem talem fundus alii locatus cum in statum redigatur, ut conductor per aliquod tempus eodem uti, ceu debebat, non potuerit, id locatoris damno cedit, quippe qui pro ratâ temporis mercedem remittere tenetur. *l. 9. §. 1. l. 15. §. 2. & 7. l. 19. §. 9. l. 33. π. Locat.*

§. VI.

*Damnum* etiam dant *Aque* quando fluvius novum facit alveum. tum enim alveus ille novus prioris domini jure eximitur, & ejus juris fit, cujus est flumen, adeoque erit publicus. §. 23. *J. de R. D. l. 7. §. 5. π. de A. R. D. adde l. 1. §. 7. π. de Flumin.* Sed quid si alveus hic iterum derelinquitur à flumine? Hic distinguen-

C

guen-

guendum, an flumen per agrum meum alveum fecerit, ita ut exteriores agri partes ripam fluminis constituent, an vero flumen totum agrum meum in alveum mutaverit. Priori in casu alveus derelictus jure vicinitatis iterum erit prioris domini. arg. §. 5. l. 7. π. de A. R. D. Posteriori autem casu videndum an flumen sensim sensimque recesserit ex alveo, an vero uno impetu; si sensim recessit, ille accretionis jure iis, qui prope ripam prædia habent acquiritur. per l. 38. π. de A. R. D. ex quâ rectius LAUTERBACHIUS deducere debuisset, quod novus alveus iterum destitutus paulatim vicinis cedat, quam quod, ut ipse loquitur, *uni* cedat. Loquitur quidem l. 30. *all.* de uno, nempe Attio, sed præsupponit illa eum solum prædia secundum viam publicam possidere. Quod si autem flumen alveum uno impetu derelinquit, dominus strictâ ratione, (quæ verba sunt d. §. 5. l. 7. π. de A. R. D.) nihil quicquam scil. juris in eo alveo habere potest, quia ille ager, qui fuerat, desit esse & quia vicinum prædium nullum habet. Quamvis autem hæc secundum juris rigorem ita sese habeant, ex æquitate tamen alveus hoc modo derelictus priori domino cedit; id quod indigitat Jctus verbis finalibus hujus §. dicens: *Sed vix est ut id obtineat.* vid. GRYPHIAHDER *de Insulis* c. 29. n. 81. MEURER *im Wasserrecht Part. III. p. 1027. ap. FRITSCH. in Jure Fluviat.* Et hoc ipsum etiam innuere videtur. l. 30. π. de A. R. D. quando dicit, *quod ager inundatione fluminis occupatus, sed eodem impetu recessu fluminis restitutus ad pristinum dominum pertineat;* ubi per inundationem non intelligendam esse inundationem simpli-

pli-

plicem & proprie dictam, sed quæ alveum novum produxit, verba sequentia ostendunt, dum dicitur: *Sicut hic fundus, cum alveus fluminis factus esset i. e. mutatus esset in alveum, fuisset publicus &c.* Quod mores hodiernos attinet iis juxta GRYPHIANDRUM *de Insulis c. XI. n. 45.* ZIEGLERUM *lib. 2. de Jure Majest. c. 15. §. 25.* Dominis Regionum alvei derelicti adscribuntur, quod & in Gallia suo modo obtinet; nam per *Declarationem Regiam datam m. Aprilis 1683.* quæ se refert ad aliam *Declarationem de Anno 1664.* decisum est, *que les fleuves & les rivieres navigables appartiennent au Roy en pleine propriété par le seul titre de sa Souveraineté, & même tout ce qui s'y trouve renfermé, comme les Isles, Islots, accroissemens, atterrissimens, passages, ponts, bacs, bateaux, peches, moulins &c.* id tamen perpetuum non esse apparet ex præjudiciis quæ habet CARPZOV. *P. III. const. 31. def. 24 seq.* quorum unum ita sonat: *Da aber künfftig das strömichte Wasser des Orts sich verliehren / und auff beiden seiten des Wassers vertrocknen würde / so hätten des vertrockneten Wasserbauchs die jenigen / deren Güter daran gelegen / sich zugleich anzumahen guten Zug.*

§. VII.

Quid vero censendum de Damno, quod imminere videtur rerum, quæ vi aquarum fuere in aliorum fundos translatae, avectione? An revera earum Dominium per hanc translationem amittitur? Negandum id est per *l. 9. §. 1. & 3. π. Damn. infect. l. 5. §. 4. π. Ad Exhib. l. 8. π. de Incend. ruina Naufrag. rate &c.* ex quibus liquet importata tolli a Dominis posse, quodsi hoc tolerare non velit is, *eujus*

in fundum hæ res fuere importatæ, posse vel agi ex  
*interdicto, ne vis fiat Dominis, quo minus sua tollantur*  
 vel *Actione ad Exhibendum*; vicissim vero obstrictum  
 esse eum, qui res suas ita tollere vult, ut tum *damni*  
*infecti*, quod forte occasione sublationis contingere  
 posset, tum etiam *de præterito damno caveat*, si forte  
 impetu suo res in fundum alienum actæ damnum  
 dederint. Consequens hinc est, quod, quoniam do-  
 minium salvum manet, etiam importata *Rei Vin-*  
*dicatione* vel *Publicianâ* repeti possint. De eo ma-  
 jor Lis est inter Dd. An *Condictio* etiam locum hic  
 habeat? Negantium sententiæ favet, quod juxta *l. fin.*  
*in f. π. Usufruct. quemadm. caveat: Proditum* (i. e. con-  
 stanti Traditione receptum) est, *neminem rem suam*  
*nisi furi condicere posse* conf. §. 14. *J. de Action.* Agentibus  
 patrocinatoribus *l. 4. §. ult. π. de Reb. Cred.* ubi dicitur: *Ea,*  
*quæ vi fluminum importata sunt, condici possunt.* Hanc  
 legem quidam ita explicant, ut dicant: *Condicere*  
 hic idem est ac agere, vel petere. Alii arbitrantur  
 præsupponendas esse res importatas in h. l. in quas  
 alioqui ante avectionem vi fluminis factam posses-  
 sori *Condictio* saltem, non *Vindicatio* competebat;  
 Rursus alii autumant Legem loqui de terra alterius  
 agro adjectâ, quæ coaluit; hanc scilicet *condici* posse,  
 id est, pretium ejus, quo alterum locupletari meâ  
 cum jacturâ par non sit. vid. HUBER. *Prælect. J. Civ.*  
*ad Inst. de R. D. §. 34.* Alii cum GLOSSA hunc textum  
 accipiunt de furibus & m. f. possessoribus. Quæ ul-  
 tima sententia menti Jcti congrua omnino vide-  
 tur; nam in §. præcedente etiam de *Condictione*  
*furtivâ* sermo est. Præter autem hancce *Condictio-*  
*nem*

*nem furtivam*, ego omnibus, ex quorum prædio aliquid aquarum violentiâ avectum est, modo eorum interfit, *Condiçtionem generalem ex aequitate* vei *Implorationem officii Judicis* hodie concedendam esse arbitror.

§. IX.

Unicum ex plurimis, quæ de *Damnīs*, quibus *Aqua* sine hominum ope nocet, datis afferri possent, addimus, an nempe si quis ratione ædium suarum damni infecti cavit, & ædes illæ subito aquarum impetu corruant in ædes alterius, eo nomine teneatur? Id quod negandum est, quia per cautionem damni infecti averti intenditur tantum damnum quod ex opere ipso, non aliunde, metuitur. Clare inculcat hoc *l. 24. §. 5. π. de Damno infecto*, ubi *ULPIANUS* hæc habet: *Idem Servius putat, si controversia Aquæ* (i. e. confluxus aquæ impetuolus) *insulam subverterit, deinde stipulatoris ædificia ceciderint, nihil eum ex stipulatu consecuturum, quia id nec operis, nec loci vitio factum est; si autem aqua vitiet fundamenta & sic ædificium ruiisset, committi stipulationem ait. multum enim interesse, quod erat alioquin firmum vi fluminis lapsum sit protinus: an vero ante sit vitiatum, deinde sic deciderit; & sic La-beo probat: etenim multum interesse, quod ad Aquilinum pertinet, sanum quis hominem occidat, an vero factum imbecillitorem.* Unde manifestum est, si ædes sensim ex aquarum naturâ vitium trahant, omnino teneri eum, qui damni infecti cavit.

§. X.

Sufficiant hæc de *Damnīs* per *Aquas* sine *Hominis* factō datis; transeundum nunc est ad *Damnorum* per *Aquas*, non tamen sine *Hominum* concursu, datorum species aliquas. Primo loco hic se sistit illud,

quod Perruptione Aggerum contingit. Ubi notandum quod is, qui aggeres perrupit sive id faciat animo alios lædendi, sive proposito suam utilitatem promovendi, Actione Legis Aquiliae teneatur. Præterea in Judicio Criminali severa hos homines manet pœna: quo pertinet *l. 10. π. de Extraord. Crim.* quæ illos, qui in Ægypto Chomata rumpunt vel dissolvunt, plectendos esse sancit extra ordinem pro conditione suâ & pro admissi mensurâ; simulque notat quosdam opere publico aut metallo plecti; quæ pœna postea aucta fuit à THEODOSIO JUNIORE, qui in eos, qui aggerem Nili perfodiunt, cum fluminis illius incrementum est minus, quam duodecim cubitorum, statuit pœnam Vivicomburii in eo loco, ubi crimen commiserunt: Eos autem, qui conscii & confortes sunt, perpetuæ deportationi subicit. vid. *l. un. C. de Nili agger. non rumpend.* JUDGE GLOSS. SPEC. SAX. Lib. II. art. 56. n. 2. conf. DAMHOUDER *in Pr. Crim. c. 107.* FARINAC. *qu. 17. n. 34.* CLARUS. §. *fin. qu. 83. n. II.* imprimis autem HACKMANN *de Jure Aggerum c. 18.* Cujus severitatis causa est magnitudo damnorum, quæ ex peremtionem tali tum in Rempublicam, tum in singulos redundare possunt. vid. JAC. GOTHOFRED. *ad l. un. C. Th. de Nili agger. non rumpend.* Est hinc etiam, quod res aggeralis plurima singularia habeat; quo pertinet, quod habere soleat singulares Judices, item aggerum Comites, quos Batavi *Diickgraven* appellant. vid. FELTMANN. *de Accession. memorabil. p. 45.* item *Siel- und Teich- Geschworne.* vid. WINCKELMANN. *Chron. Oldenburg. Part I c. I.* quod habeat plurimas speciales Leges, quas *Jus Spadelandicum*, *Das Spaten- oder Teich-Recht.* appellant. vid. HACKMANN. *l. c.*

*l. c. c. 15. & 16.* quod possessores bonorum sine respectu, an sint domini simul, indistincte ad onus aggerale teneantur, ita ut nec prædia Principis, nec bona Ecclesiæ & Clericorum immunitatem ab eo arrogare sibi possint. conf. *l. 2. C. de Immunitate nemini concedendâ.* & ad eam BRUNNEMANN, *in Commentar.* qui recte etiam Forenses huic oneri subjicit. Hinc etiam JURE SAX, ad reparandum aggerem vocatus & non comparens bonis, quæ sub aggeribus habet, privatuf. SPEC. SAX. *lib. 2. art. 56. MEV. Decif. Part. IX. Dec. 119.* qui etiam observat Judicem hic non servatis processibus sollennibus procedere posse. Aggeres etiam interdum faciunt, ut Aquæ vicinis noceant e, g. ego Aggerem prope ripam meam facio, ne flumen agrum meum inundet, fit inde, ut fluvius in aliorum agros transeat; hic quæritur an damni hujus nomine tenear? Respondemus autem negandum illud esse per ea, quæ UERIANUS habet *in l. un. §. 7. π. ne quid in flumine publico fiat, quo aliter &c. l. 1. C. de Alluvionibus* conf. STRYCKII *Usus Mod. ad d. 1.* & addatur omnino MEVIUS *in Decif. Part. VIII. Decif. IX.* ubi clare ostendit, non sufficere, si damnum datum sit, sed requiri animum nocendi.

§. XI.

Quodsi Aqua pluvia damnum dederit propter opus manu factum, competit Actio ex Interdicto quod vi aut clam, uti apparet ex *l. 14. §. 3. π. de Aq. & Aq. pluv. Arc.* Videri quidem posset hoc in casu competere actionem Aquæ pluviae arcendæ, utpote quæ definitur, quod sit actio quâ agitur ad damnum, quod ex aqua pluvia propter opus factum veremur, avertendum, & ad id, si factum est, restituendum, LAUTERBACH, *Comp. ad tit. de Aq.*

*Aq. & Aq. pluuv. arcend.* Verum ex *l. 14. §. 2.* & ex *l. II. §. 3. π. de Aq. & Aq. pluuv. arcend.* satis apparet hanc actionem pro objecto habere non damnum præteritum, sed illud quod vel post litem contestatam contigit, vel futurum esse metuitur. Si autem Aqua ex loci naturâ vel alias naturaliter noceat actio nulla competit. vid. *l. 1. §. 14. & 15. π. de Aq. & Aq. pl. Arcend.* Unde licet vicinus opus tollat, & eo sublato naturaliter ad inferiorem agrum perveniens aqua noceat, agi non potest; semper enim hæc est servitus inferiorum prædiorum ut naturâ profluentem aquam excipiant. Plane si propter opus sublatum vehementior aqua profluat vel corrivetur, agere licebit. *l. 1. §. 22. π. de Aq. & Aq. pluuv. arcend. l. 2. pr. cum §. seqq. eod.* quod ultimum tamen intelligendum, si ideo opus sit remotum, ut majori impetu defluat Aqua STRUV. *Synt. J. Civ. Ex. 39. §. 31.* & ad illum PETR. MÜLLER *in not. lit. γ. conf. omnino notabilis Decisio MEVII in Part. IX. Dec. 119.* ubi multa egregia, quæ huc pertinent, in medium affert.

§. XII.

Uti autem damnum hocce vindicari non potest, utpote licite illatum, ita é contrario improbatum illud, quod fit, dum quis flumen alio avertit, ejusque cursum mutat, sive id proprii commodi causâ, sive in noxam aliorum faciat. Inculcat hoc GORDIANUS Imp. *l. 1. C. de Alluvionib.* dicens: *Quamvis fluminis naturalem cursum opere manufacto alio non liceat avertere, tamen ripam suam adversus rapidi amnis impetum munire prohibitum non est.* conf. *l. 13. π. si servit. vind. l. 19. pr. π. de Servit. Pred. Urb. l. 29 §. 1. π. ad L. Aquiliam.* confer. STYPMANN. *de Jure Marit. & Naut. P. II. c. V. n. 446.* Plurima hic de *Damnis per Aquam* datis addi potuissent, sed nunc finiendum est. *Aqua enim, ad cujus mensuram scribere instituimus, ut Oratorum verbo utar, hic deficit.*

SOLI DEO GLORIA.